



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXVIII. De Morte fratris Helmerici Magistri & XL. fratrum & plurium
Christianorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.

CAP. CXVII.

De

Impugnatione castris Wilow.

Hoc tempore Pruthenorum Sudovvitarum & Lethovvino-
rum exercitus validus intravit terram Sambiensem & or-
dinatis Lethovvinis cum una Machinâ ad unam partem, & aliis
cum alia ad alteram, castrum Wilovv obsederunt per octo dies
cottidie impugnantes; tandem uno die cum omnes ad pugnam
accederent, Sagittarii cum telis machinæ, cum lapidibus, alii
cum lignis & straminibus, ad combustionem castris & reliqui di-
versis modis obsessos inquietarent. Henricus Tupadel, qui po-
stea factus fuit frater Ordinis domus Teutonice, vir strenuus in
armis & arte balistariorum plenius edoctus, populum obsessum
animavit ad defensionem & cum eis ignem sæpius appositum
ad comburendum castrum extinxit. In hac durissimâ pugna
plures infideles fuerunt occisi & lethaliter vulnerati; sed Hen-
ricus prædictus quendam virum nobilem & potentem Capita-
neum Lethovvorum, cum balista Sagittans telo tetigit & occidit
& ex alia parte quendam Magistrum, qui ad Reparationem Ma-
chinæ ascendit, summitatem ejus sagittavit & cum telo affixit
ad machinam manum ejus, quo viso infideles territi ab obses-
sione recesserunt.

CAP. CXVIII.

De

*Morte fratris Helmerici Magistri &
XL. fratrum & plurimum Christianorum.*

Et

Eodem

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

Eodem anno Henricus Monte Capitaneus Nattangorum cum valido exercitu intravit terram Colmensem, & præter populum multum & aliarum rerum prædam inæstimabilem, quam secum duxit, omnia ædificia extra munitiones sita combussit, & terram illam Christianorum Sangvine rubricavit. Quod cum ad aures fratris Helmerici Magistri deveniret, convocavit omnem virtutem exercitus sui & secutus est eos usque ad terram Lubovix & ordinato exercitu suo ad prælium, eos viriliter est aggressus. Prutheni autem vallati indagibus fortiter in primo restiterunt, sed tandem fugerunt, & Christiani sequentes eos dispersi fuerunt, & licet in hac fuga plures occidissent, tamen Prutheni, cum viderent paucos viros circa vexillum, coadunati redierunt ad indagines, & incipientes novum bellum, quod diu duravit, ultimo permittente Domino, cuius incomprehensibilia sunt judicia, Magistrum & fratrum Theodoricum Marschalcum & XL. Fratres & totum exercitum Christianorum interfecerunt, factaque fuit tanta plaga in populo DEI, ut æstimaretur major, quam illa quæ præcessit in conflictu Curoniensi, quia licet hic tot non essent occisi sunt ibi, tamen quasi omnes electi & præelecti viri, quorum sapientiæ & industriæ & terra Pruschix & bellum regebatur, sunt extincti. In hoc loco certaminis postea quidam Eremita habitans vidit noctis tempore candelas ar dentes plurimis vicibus, quæ interfectos ibi jam coronam Martyrii apud Regem martyrum manifestius declarabant.

CAR. CXIX.

DE

Fratre Ludowico Magistro terræ

Pruschix VII.

Fra-